

tamquam tutos medendi modos; postea vero pro-  
pensiones perscrutari, quas natura ostendit, efflu-  
xus efficientis dirigens (§. 28 et 16.), atque exin-  
de rectas indicationes asumere, iisque pro aegro-  
tantium emolumento uti (k).

§. 30. Vestigiis igitur ejus medicus insistens (§. 29.)  
siquidem in principio morborum humorem turgidum  
movere opus sit, celerrime moveat censeo (§. 15.),  
totum antea corpus meabile reddens (§. 29.)  
quid vero aliud hoc, quam perspirabile id effice-  
re, humoresque attenuare, et patulum reddere:  
in vigore autem eorum cavere sibi oportet, hu-  
morem vero rite praeparare, semperque totum  
corpus servare meabile, ac deinde tempus prae-  
finitum observare, quod hic nil aliud est, quam  
concoctionis tempus, in quo natura humores tur-  
gidos reddit (§. 16.), procliviores nimirum eos ad  
excretionem; ac deinceps judicationes salutare  
procreat (§. 16.); id quod tuta medendi oppor-  
tunitas est.

E

---

(k) id. ib. L. I. p. III. sect. I. 9. 10.